potestates progrediuntur. si autem regna diuersa quantocu-
ius regnum aliquod maximum cui reliquorum regnorum
potestas uniuersa subicitur, quale a principio babylonium et
deinde machedonicum fuit. post etiam africanum atque in
fine romanum quod usque ad nunc manet; eademque ineffabi-
li ordinatione per quattuor mundi cardines quattuor
regnorum principatus distinctis gradibus eminentes; ut baby-
lonium regnum ab oriente, a meridie karthaginense, a septem-
trione machedonicum, ab occidente romanum; quorum inter
primum ac nouissimum id est inter babylonium et romanum quasi
si inter patrem senem ac filium paruum. africanum ac mache-
donicum breuia et media quasi tutor curatorque uenerunt; po-
testate temporis non iure hereditatis admissi quod utrum ita sit.
apertissime expedire curabo; Rex primus apud assyrios qui emine-
re ceteris potuit ninus fuit; occiso nino samiramis uxor eius totius asiae
regina babylonam urbem instaurauit caputque regni assyrii
ut esset instituit; regnum assyriorum diu inconcussa potentia stetit; sed cum
arbatus quem alii arbacen uocant praefectus medorum idemque nati-
one medus sardanapallum regem suum apud babylonam interfecis-
set. regni nomen et summam ad medos transtulit; Ita nini et babylo-
nis regnum eo anno in medos deriuatum est quo anno apud latinos pro-
chas amuli et numitoris pater. auus autem rheae siluiae quae mater
romuli fuit regnare coepit; ut autem omnia haec ineffabilibus mys-
teriis et profundissimis dei iudiciis disposita non aut humanis uiribus.
aut incertis casibus accidisse perdoceam; omnes historiae antiquae.
a nino incipiunt; omnes historiae romanae a procha exoriuntur; deinde
a primo anno imperii nini usque quo babylon a samirami de instau-
rari coepta est. interueniunt anni LXIIII; et a primo anno prochę
cum regnare coepit usque ad conditionem urbis factam a romulo.
Intersunt aeque anni LXIIII; ita regnante prochę futurae romae se-
mentis iacta est. et si nondum germen apparet. eodem anno regni

© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_829/0040